





FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ



Immisit in os meum canticum novum, carmen DEO Nostro.

Ps. 39 V. 4.



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



JOANNES BENEDICTUS GAMARRA

LECTORI S. S.

MUSAS (ut ait Cardin. de *Polignac*) (a) ad vera vocare, et quasi postliminio restitutas, ab inani- bus, ac propudiosis fabulis, ad DEUM, et ad Mysteria Christianæ Religionis adducere, id vero est, quod pauci hactenus bono omine, et successu tentarunt. *Jacobus Sannazarius* scripsit de *Partu Virginis* libros tres. *Hieronymus Vida* Episcopus Albanus *Christiadem* libris sex, et hymnos. Atque hi fere duo sunt, qui publico suffragio Principes habentur, et qui propius quam cæteri omnes *Virgilium* sequuti esse merito suo existimantur. Sed tamen *Sannazarius* gravem Eruditorum reprehensionem incurrit, tum quod Sacra profanis temere miscuerit, tum quod multa, non ea qua par erat dignitate tractaverit. Exempli gratia Deiparenti Virgini ad crucem stanti hæc affingit. (b)

..... *Crudeles terras, crudelia dicit
Sidera, crudelem sese, quod talia cernat
Vulnera saepe vocat: tum luctisono ululatu
Cuncta replens*

Et post pauca:

[a] *Anti Lucret. Lib. 1. V. 22.*

[b] *Lib. 1. a V. 339.*

003339

II

*Cui querar? O tandem dirae me perditae dextrae
Me potius, (siqua est pietas,) immanibus armis
Obruite: in me omnes effundite pectoris iras.*

At hæc (nequid dicam asperius) absurda sunt, et a constantia Virginis alienissima, et ad Euryali matrem putidius perversa imitatione conficta.

Neque multum ab his distant, quæ *Vida* loquentem Virginem inducit: (a)

----- *Addite me me*
*Huic etiam si qua est pietas, et figite trunco
Aut vos o! montesque feri, quaeque ardua cerno
Me supra frondere cacumina, parcite quaeso
Vos saltem, vos o! nostro exsaturata dolore
Respicite, et miseræ tandem succurrite Matri.
Nunc nunc praecipiti casu convulsa repente
In me unam ruite, et tantos finite labores.*

Decentne hæc Virginem? An non sunt accommodatiora, ac fortassis elegantiora quæ de eodem argumento hîc? (b)

*Stabat, perque genas mutae lacrymae, atque silentes
Ibant. Nec planctu, nec foemineo ululatu
Obstrepat. Infandum, dirum, immensumque dolorem
Pectore conclusum, laniantem viscera, totum
Sustinuit. Materque, eademque tenerrima Virgo
Stabat; cum totus rueret, pessum iret et Orbis
Mira ingens, et digna Dei constantia Matre!*

(a) Christ. Lib. 5.
(b) Carm. VI.

III

Porro silentium hoc, et veritati multo magis consentaneum est, et modestiæ, dignitatique Virginis melius consulit, et dolorem cæteroqui præsefert acerbiorē, grandiorēque.

De vulnere lateris hæc *Vida*: (a)
*Hic ausus solus lato cui lancea ferro
Longinus sanctos violare ignobilis artus
Irruit, et longa transverberat abiete costas.
Intepuit ferrum, Sanctum ebibit hasta cruorem
Vulnere quo perhibent bicoloris fulminis instar
Et purum laticem, et rorem exiliisse rubentem.
Diluta est humus, erubuerunt gramina circum.*

Hæc Pöeta Americanus: (b)

*Ruptum etiam pectus. Vulnus crudelius hoc est.
Postremum ediderat gemitum, expiraverat, et jam
Mors erat in vultu, palam erant vestigia mortis;
Et tamen immanis tentavit lancea Pectus,
Ultima scrutatum est ferrum penetrabilia cordis;
Si qua lateret ibi vitæ pars ulla superstes.
Ferrum crudele! Et multo ah! crudelius ipso
Clavorum ferro! Nihil oh! crudelius unquam!*

Utra horum sint elegantiora? Utra legentium animos vividius tangant, et pietatem citius accendant? Hoc enim vero est, quod subtilioris palati hominibus iudicandum relinquo. Neque enim ego is sum, qui possim sententiam ferre: neque hanc unam alteram, de multis quas pos-

(a) Christ. Lib. 6. a V. 61.
(b) Carm. VI.

IV

sem comparationem institui, ut *Vidae*, aut *Sannazario* Poetis clarissimis quidquam detraham; sed eo duntaxat, ne quis me iniquum existimet, si quæ typis do carmina quodammodo exosculor.

Ægre illa ab Auctore extorsi, ect. ut quod res est fatear pene subripui. Neque me furti pœnituerat. In his enim multa tractantur Religionis nostræ Mysteria, et fere omnia, quæ de Deo cognoscimus, et appellamus *Attributa*, nunquam antea, quod sciam carminibus donata. Hæc autem ita scripta sunt, ut primum pietatem erga DEUM ardentissimam, deinde nativum latini sermonis nitorem, et carminis elegantiam spirent ubique. Neque tam magno numero, aut mole sunt, quæ pueros obruant, terreantve, quominus possint omnia ad linguam suam vertere, et penitus intelligere, et memoriter etiam tenere. Quæ qui fecerint mirum quantum Religionem, Pietatemque animis suis imbiberint. Nam ut sumus tenacissimi eorum, quæ rudibus annis percepimus, occurrent identidem grandioribus Carmina illa quæ pueri didicerunt: et aliud agentibus, nolentibusque, ac pene invitis igniculos pietatis injicient.

Atque his ego rationibus adductus, nolui mihi uni, quæ pio furto subduxeram avarus retinere; sed ad communem utilitatem, præcipueque ad informandam, et erudiendam, et Juventutem Collegii nostri Salesiani publici juris faciendam esse omnino existimavi.

ERUDITISSIMI

D. JOANNIS LAMII

ECCLESIASTICAE HISTORIAE PROFESSORIS,
JOSEPHI II. CAESARIS, MAGNIQUE ETRURIAE DUCIS
THEOLOGI,
AC BIBLIOTHECAE RICCARDIANAE PRAEFECTI

EPISTOLA.

Clarissimo Viro D. Joanni Benedicto
Gamarra et Davalos Scientiarum, bonarumque artium
amatori, Joannes Lamius S. D.

Ago tibi gratias incredibiles, Vir Amplissime, quod mihi copiam feceris legendi elegantissima Carmina Americani Sacerdotis popularis tui, quæ non animum tantum legentis suaviter mulcent; sed veram etiam Religionem potenter insinuant, et pietatem erga Deum mirabiliter excitant. Miratus sum Romanas Musas non invitas in Orbem immenso mari ab Orbe nostro sejunctum feliciter, bonisque avibus se trajecisse; ibique, humaniter exceptis, Latinam Poesin a peregrinis exterisque hominibus adeo studiose excoli et exerceri. Hinc tanti Poetæ honori merito et convenienter Virgilianum illud usurpaverim:

Tale tuum nobis Carmen, divine Poeta,

Qualesopor fessisin gramine, qualeperæstum
 Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
 Prosperam et utilem apodemiam per Italiam
 nostram Tibi auguror; et cum patriam tuam
 reversus fueris, noli mei, hominis Tibi addictis-
 simi, oblivisci; sed, etsi tam longe dissitum, ut
 amare pergas, obsecro reverenter: menti enim
 quolibet ire licet. Vale et me ama. Dabam Flo-
 rentiæ VIII KL. Decembris anno Pub. Sal.
 MDCCLXVII.



PRAESENTIA.

Quis ergo nos separabit?
 neque mors neque vita ne-
 que creatura alia poterit nos
 separare.

Ad Rom. 8. VV. 35, 38, 39.

CARMEN I.

O ubinam es? Plus dimidio divellimur orbe
 Atque mari immenso est meus a me avulsus A-
 (lexis.

O ubinam es? Demens, inter suspiria, rursus
 Ingemino. At nec respondet, neque me audit A-
 (lexis.

5 Et perdolacrymas frustra, etsuspiria perdo.
 Ergo abijsti, et me potuisti linqere solum
 Crudelis! Sed nec fuit o! crudelis *Alexis*,
 Nec potuit: nollens ille, atque invitus abivit.
 Esto; abiit sed enim procul ille, avulsus et a me
 (est.

10 Et neque in amplexus ruere, et nec junge-
 (re dextram
 Jam possum, nec saltem audire et reddere vocem.
 Ad Solem plerunque amens convertor, et: O tu
 Sol felix! Fortasse videt nunc te quoque *Alexis*.
 Infelix infelicis solamen amoris!

15 Este mihi, et tu o sol, et coeli, et sidera
 (testes: